



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 45. Caspar Ulrici & Czechovicus mortui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Historiam Regni Christi, & Theatrum Sæc. XVII.
 vitæ æternæ: Erat in controversiis ni- A. C. 1608.
 mium acerbus, & tandem decessit die vi-
 gesima sexta Octobris Hamburgi ad S.
 Catharinam.

§. XLV.

*Caspar Ulrici & Czechovicus
 mortui.*

Ejusdem fati ac sectæ socius erat Ca- Becman
 spar Ulrici, qui die vigesima prima Arch. hist.
 Februarii anno Incarnationis Dominicæ
 millesimo quingentesimo quinquagesi-
 mo octavo die vigesima prima Februarii
 Munnerstadii Herbipolensis Ducatus op-
 pido exiguæ admodum fortunæ Paren-
 tibus, Catholicis tamen ortus est, unde
 non modo sibi sed & Patri Matrique suæ
 victum ex eleemosynis quærere cogeba-
 tur, ingenii tamen sui felicitate ac studio-
 rum profectu tantopere se commendabat,
 ut primo Gymnasii Servestani Con-Rector
 postea sub Christiano. I. Castrensis
 Præco, ac denique Superintendens, ut
 vocant, nominaretur: obiit Servestæ
 die decima octava Septembris, vel ut
 alii volunt, Decembris: Edidit emen-
 tito nomine *Irenæi Palæi* idiomate Ger-
 manico *utiles considerationes de vitiis &
 causis, ob quas a Lutheri & Zwinglii tem-
 poribus maxime scandalosa dissidia etiam-*

Sæc. XVII. num in Ecclesia Evangelica vigeant. Scri-
 A. C. 1609. psit etiam disputationes de Theologia, de
 S. Scriptura, de SS. Trinitate, de certitudi-
 dine & Ordine patefactionis veri Dei in Ver-
 bo suo. Huic adjungimus Martinum
 Czechovicium secta Socinianum in Li-
 thuania natum, qui primo Vilmæ postea
 Lublini hæresis suæ Præco hoc anno
 animam expuit. Edidit *Synopsin justifi-
 cationis nostræ per Christum*, & libros de
authoritate Sacræ Scripturæ, & de *Pædo-
 baptistarum origine* &c.

§. XLVI.

*Henrici IV. Galliarum Regis editio
 adversus Divini nominis prophana-
 tores & Duellantes.*

*Contin.
 Thuan. par
 Nicol. Re-
 gault. l. 2.
 Serran.
 Franc. Hist.
 pag. 863.*

Ineunte hoc anno supra millesimum
 sexcentesimo nono Henricus IV. Fran-
 ciæ Rex non minus armis potens, quam
 Religionis studio ardens salutarem ad
 modum legem adversus Blasphemos
 edidit; cum enim comperisset, quod
 nonnulli Sanctissimum Dei nomen per
 summam contumeliam, horrendasque
 dejectiones passim prophanare non e-
 rubescerent, ad reprimendam detestabi-
 bilem hanc licentiam primo leges præ-
 nasque ab Henrico II. & Carolo IX. ex
 de re latas innovabat, ac insuper die
 sexta Januarii indicta capitali pœna in-
 hibebat